

Dr. K. Všeček:

**DUARUM SPECIERUM GENERIS ONTHOPHAGUS  
(COL. SCARABAEIDAE) DESCRIPTIO.**

**Onthophagus ginyünensis** n. sp.

Capite et thorace nitidis, obscure purpureo-cupreis, elytris brunneo-luteis, ornamentis nigris sequentibus notatis: stria suturali, macula quadrata in basim intervalli quarti posita, margine toto, postice usque ad intervallum secundum producto nigris. Corpore subtus nigro-brunneo.

Capite grosse, transverse, punctato. Clypeo fere semicirculari, antice triangulariter emarginato, apicibus rotundatim obtusatis utrimque prope emarginationem positis, elevatis. Genis late rotundatis, carina frontali inter oculos posita, solum leviter distincta, semicirculari. Carina occipitali usque ad marginem apicalem posita atque elevationem subgibbiformem glabram formante.

Thorace angulis anticis productis, fortiter deplanatis. Margine laterali ante medium versus anticem distincte sinuato, versus basim rotundato. Margine basali haud notato. Disco lateraliter carinis longitudinalibus notatis, his versus anticem leviter convergentibus, ab angulis posticis totaliter rotundatis, usque ad marginem anteriorem productis. Parte externa carinarum distincte impressa. Parte versus anticem fortiter declivi thoracis inter ambos carinas posita, de super visa, circiter  $\frac{2}{4}$  latitudinis marginis anterioris thoracis attingente. Linea media solum leviter indicata. Superficie tota disperse punctis leviter pupillatis tecta, fere nullo modo pilosa.

Elytris distincte striatis, striis superficialiter punctatis, intervallis valde plane foveiformiter punctatis, fundamento leviter microscopice alutaceo. Punctis in medio subtilissime, brevissime setosis.

Pygidio toto marginato, aeneonigro, leviter alutaceo, disperse pupillatim punctato, punctis leviter transversis atque punctorum intervallis aspectu levi transverse rugoso. Tibiis maris anterioribus leviter curvatis, versus apicem subdilatis, externe quadridentatis, inter dentes atque versus basim crenulatis. Antennis rubro-brunneis, clava obscurata. Long. 9 mm. 1 ♂. China (Ginyün).

Species haec, speciebus nigro-luteis subgeneris *Strandius* Balt. vicina esse videtur. Ab his omnibus jam clypeo fortiter emarginato valde diversa.

**Onthophagus Mañani** n. sp.

Corpore nigro-brunneo, capite et thorace rubro-cupreo, nitido; elytris minus nitidis, rubro metallice nitentibus, pedibus rubro-brunneis.

Capite brevi et lato, grosse transverse rugoso, vertice disperse punctato, genis obtusangulatis. Clypeo semicirculari, antice elevato. Carina frontali maris nulla, carina verticali simplici, humili atque usque versus marginem posticum posita. Articulo basali antennarum rufotestacearum margine antico levi.

Thorace angulis anticis obtusatis, margine laterali antice rotundato, postice sinuato. Margine basali solum punctis aliquod notato, medium solum leviter angulato. Disco toto convexo, antice gibbositate utrimque impressione plana notata, ornato. Linea media brevi, nullo modo usque basim producta. Superficie parte maiore squammulis granuliformibus ovalibus postice in punc-

tis raspatis transeuntibus tecta, pilis griseo-luteis notata. In exemplaribus detritis, squammulis granuliformibus unquam vix discretis atque dein punctis post has squammas positus, fortius distinctis, quod faciliter determinationes falsas efficere possit.

Elytris distincte punctato-striatis, intervallis plane convexis, alutaceis atque punctis raspatis et fulvopilosis ornatis.

Pygidio rotundatim marginato, satis nitido, punctis piliferis non densis, leviter pupillatis tecto. Tibiis anticis leviter curvatis, quattuor dentibus dense superpositis notatis, versus basim crenulatis. Long. 8—9 mm. 8 ♂♂. China (Tienmuschan).

In honorem Dr. J. Mařan, entomologi musei Pragensis denominatus.

Species haec *O. Vitallisi* Bouc. et *O. penicillati* Har. maxime vicina, sed jam colore facile dignoscenda est.